

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul., Belg. disputaciones)


—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





DISPUTATIO X.  
**PRO EXAMINE**  
**CONCILII TRIDENTINI**  
 CONSCRIPTO à Dn. D. MARTINO CHEMNITIO Theologo. Opposita  
 Sess. 5. decret: 5. An. 1546. d. 17 Iulii. celebrata.  
 DE CONCVPISCENTIA RENATORVM.  
 Continens V. Capita.

- I. De statu Controversiæ.
- II. De vocabulo Peccati.
- III. Veterum sententiæ de Concupiscentia.
- IV. Argumenta Pontificiorum confutata.
- V. An B. Virgo Maria sine peccato originali concepta fuerit.

quam Sub præsidio

**SALOMONIS GESNERI**  
 S. S. Theologiæ Doctoris & Profefs. ad privatam σὺνδίκην proponit

**CHRISTIANVS BÖCLERVS**  
 Neobrandenburg. Megapolit.  
 Anno 1602 Mense Majo.

Pro v. 20, 9.

מִי-וְאֶמְרָא זְכוּתִי לְפָנֶיךָ יְיָ אֱלֹהֵי מִלְּחָמָתִי

W I T E B E R G A E,  
 Typis V Volffgangi Meisneri, Anno. 1602.



VIRIS

REVERENDA DIGNI-  
TATE, PIETATE, ERVDITIONE, AC  
HVMANITATE præstantibus.

*Dn. M. IOACHIMO VVERNICHIO, Ecclesia-  
stæ Stralsundensi ad D. Maria dignissimo.*

*Dn. ANDREAE VVERNERO Pastori Neme-  
roviensi vigilantissimo.*

*Dn. PETRO RÜHELIO Pastori Cöbalcensi fidelissimo.*

*Dominis Fautoribus, Promotoribus & Affinibus suis plurimum  
honorandis.*

VT ET

*Dn. LVDOVICO BÖCLERO Rüloviensis Ec-  
clesiæ Ministro præclaro, Fratri suo germano vnico,  
vnicè colendo*

*Hoc summi γράμμα Theologicum*

*Pietatis, amoris, & Honoris  
ergo*

*Consecrat & offert*

CHRISTIANVS BÖCLERVS Neobran-  
deburg: Megapol:



DISPUTATIO  
De Concupiscentia Renatorum.

THESIS I.

**S**CITE ADMODUM ET ELEGAN-  
ter Augustinus de sua ad Deum confessione; Non  
operui, inquit, sed aperui, ut operires: non celavi,  
ut regeres. Nam quando homo detegit, Deus tegit,  
cum homo celat, Deus nudat, cum homo agnoscit, Deus ignoscit.

II.

Vidit nimirum Divus ille Pater, nihil ad consequendam  
Dei gratiam ac misericordiam utilius esse, quam est ingenua  
peccatorum & aperta Confessio: vidit & hoc fecundum esse ho-  
minis ingenium in sui defensione vel saltem excusatione fabri-  
canda. Quam in parte mortales phreneticis non videntur ab similes  
qui morti licet quam proximè sint vicini, sanos tamen sese exi-  
stimant: sic enim homines peccatorum ulceribus propemodum ab-  
sumti, etiamnum sanos sese jactitare audent, morbumque hunc  
suum deploratissimum non agnoscunt, tantum abest de remedio  
ullam cogitationem suscipiant.

III.

Quod ipsum eum in omnibus, tum v. in Pontificijs videre  
licet, quibus hoc artificium prae ceteris est familiare. Hi enim de  
peccato, quod originaliter nobis adheret, tam frigide tam levi-  
ter & prophanè Philosophantur, ut totam Religionem ridere non  
obscurè videantur: dum illud vel nuda privatione, vel solo rea-  
tu sine inherente aliqua pravitate, vel alio quopiam leviori no-  
mine definiunt; ita tamen ut ipsum à peccati ratione & homines  
à peccatis penitus absolvant.

IIII.

Est v. hac disputatio una ex potissimis, quae in contentione  
cum Romanensibus hac tempestate ponuntur. Etenim hinc depen-  
dent eorum meritum, perfectio, iustitia & supererogatio bonorum  
operum; quae tanti faciunt, ut, si remoto gratiae & remissionis

A 2 umbra-

umbraculo, Deus post baptismum nobiscum in iudicium, intret, nihil tamen reperiat, quod nos ab ingressu cæli remorari posset.

V.

Nos blasphemias istas Pontificijs autoribus relinquentes illud in intimis nature latebris & occultissimis cordium recessibus absconditum venenum in apricum proferemus, Deoq; exponemus, ut agnito nature vitio ad gratiæ remedium acrius aspiremus; & dum reprehenditur, quod non imputatur, sine macula noster ad perfectionem cursus habeatur.

VI.

Quare cum superiore διακρίσει, diritatem communis huius incendiij, γενικῶς in origine perspexerimus; nunc eius reliquias in Renatis; quas scriptura Concupiscentiam, Damascenus περιττωμα ἐπιθυμίας ἢ οὐ θεῶδ' ἐπιθυμίας appellat; detracto Pontificio habitu, nudas in theatrum producemus, & primò quidem, post fixum in arenâ & constitutum certum κριτόμυθον, nativis hanc Helenam coloribus ex scriptura & Patrū μυσθηρίοις describemus; fucam contra, quo eam præter meritum ornavit gens Iesuitica, detergemus. Deinde v. quantum in Mariâ Virgine juris obtinuerit, paucis contemplantur.

VII.

Caput I.  
De statu  
Contro-  
versia:

Et ne peregrinis disputationibus à statu abducamur, ἀφοῦρεσις τῶς μὴ ζητημύθου præmittenda, ut sic ad τὸ ζητημύθου eo rectius perveniamus, & ab hereticorum μεθοδίας, tutiores nos præstemus.

VIII.

Primum in controversiâ non est; An Concupiscentia reliqua sit & maneat in illis, qui ex aquâ & Spiritu renati sunt; quia tota scriptura & omnium piorum experientia hoc ostendit. Ita enim importunissima hæc pestis per omnes corporis & animi partes pertinuit, ut nihil ferè in nobis sit, quod non illius sævitiam facile testetur. Unde non possumus concupiscentiarum pestiferis & insolentissimis motibus carere, quamdiu mens fuerit mortalitatis consuetudine implicata.

g. Hoc.

## IX.

2. Hoc etiam lite vacat; An peccatum Originale ἡσάυτως & eadem omnino ratione sit & maneat post Baptismum & regenerationem Spiritus, sicut est ante Baptismum in non renatis. Quae sententia per evidentem calumniam nobis à Pontificijs affingitur.

## X.

Didicimus enim ex scriptura, in Baptismo per mortem & resurrectionem Christi fieri remissionem OMNIVM peccatorum. Et illam non esse superficialiam, non dimidiatam aut partialem, sed plenam & perfectam: ita ut nulla condemnatio sit his, qui in Christo Iesu sunt Rom. 8, 1. Cor. 6, 11. Didicimus & hoc ex scriptura, Baptismum esse lavacrum 1. regenerationis & 2. renovationis per S.S. Incipit ergo in renatis Spiritus sanare naturā, mortificat actiones carnis Rō. 8, 13. Tit. 3, 5. crucifigit & exuit veterem hominem, destruit corpus peccati Rom. 6, 6. Col. 3, 9. expurgat vetus fermentum 1. Cor. 5, 7. concupiscit adversus carnem Gal. 5, 17. & loco defectus originalis operatur nova dona, accendit & creat Spirituales facultates & motus. Haec, inquam, didicimus, haec credimus, haec docemus & profitemur.

## XI.

3. Nec cardo controversiae in eo vertitur. An reliquia illa peccati Originalis renatos, qui per baptismum Christo insiti, fide in ipso sunt & manent, Deo exosos faciant & damnent; οὐδ' ἐν Χρῆστῷ καὶ τῶν, μα, &c.

## XII.

4. Ut nec illud propriè hoc loco disputatur, quando reliquia illa P. O. in mortali corpore ita regnant, ut desiderijs Concupiscentiae non repugnemus sed obediamus, tunc enim consummatum peccatum parit mortem Iacob. 1, 15. Vnde Paulus; Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Rom. 8, 13. Rom. 6, 12.

## XIII.

Sed status Controversiae hic est: Num in renatis per baptismum aboleatur peccatum Originis, an v. remaneat, & si abole-

Bellarm: Tom. 3. Cont: 2. gent. 1.5. c. 7. In Resp. ad Examen Concil. Trid. D. Chemnit. Thef. 2. 3. Gen. 8. 21. Eccl. 2. 3.

aboletur totumne illud tollatur, an ex parte duntaxat vel reatus vel corruptionis. Et quid Concupiscentia illa, qua post Baptismum in hac vita adhuc reliqua est, quando ipsi non obeditur, quid, inquam, sit per se, ex se, in sua natura, ut Iesuite loquuntur, num sit res bona vel mala vel indifferens, vel, (ut Andradij cavillis occuramus) an verè peccati rationem habeat. Hec Rhodus, heic saltus.

XIV.

De eâ enim Concupiscentiâ sermo est, qua consistit in primis motibus, ut vocant in Scholis, Græcis dicta πρῶτα. Estq; prava inclinatio & motus animi inordinatus sive in mente sive in corde, sive in voluntate; gignens infinitam confusionem appetitionum & sollicitans ad malum, etiamsi non semper accedit consensus, sed crucifigitur & mortificatur.

XV.

Act. 22. 3. Phil. 3. 6.

Et hanc ἐπιθυμίαν per se ream esse peccati & ira Dei, nulla ratio, & proinde nullus Philosophorum aut Ictorum agnoscit. Leges enim civiles cogitationi suis terminis contentæ pœnam decernunt nullam, nisi forsân ad conatum progrediatur in criminibus notorijs sive maximis, ut stupro, homicidio, incendio & similibus, ubi conatus pro facto reputatur. Pharisei quoq; Doctores Israelis, externis fascinati Legis observationibus, interior em illam mandatorum Legalium vim & imperium haud animadverterunt. Quid? quod Apostolus Paulus περὶ τοῦ εὐρυλῶτος καὶ ἀκριβοῦτος τοῦ πατρῶος νόμου, eruditus ad exactam patriæ Legis disciplinam, & in eâ γενόμενος ἀμεμῶτος seu inculpatus, hanc tamen, de qua loquimur, concupiscentiam se non intellexisse palam profitetur, priusquam Legem spiritualem, se verò carnalem esse didicerit.

Rom. 7. 7.

XVI.

Bellar. T. 1. Contra gr. 3. l. 2. c. 6. Tom. 3. Cont. 2.

Nemini igitur mirum videatur, quod Pontificij quippe Ethnicâ nube circumfusi, eodem modo Dei veritatem contueantur, quo noctua diei lucem. Sic enim illi hominem per baptismum regenerari affirmant, ut in hac etiam vita omnes peccati fibrae penitus



penitus exstirpentur, ita ut ne vestigium quidem ullū reliquum sit, quod proprie peccati rationem habere possit, & ideo renatos innocentes, immaculatos, puros & innoxios esse dicunt, in quibus nihil sit, quod Deus possit odisse. Concupiscentiam v. (quam illi fomitem appellant) non modò NO N esse peccatam, sed, si rectè homo ei moderetur, MERITI causā esse blasphemant.

## XVII.

Prodeat igitur in medium D. Apostolus Paulus, qui suum Evangelium non ex naturā hausit, nec ab hominibus accepit; sed per revelationem I. C. illud didicit: qui amplius 20. annis laborauerat in destruendo corpore peccati, cuius interior homo de die in diem ultra 20. annos continuè renovatus fuerat; ille, inquam Paulus, qui dicit 1. Cor. 4, 4. Nihil mihi conscius sum &c. fateatur iustā & probā querela inhabitantem in se Concupiscentiam esse peccatum. Idq̄ non semel ut obiter ei appellatio illa excidisse videri possit, sed in suā ad Romanos Epistola, decies quater eam repetit & inculcat Rom. 6, 6. 12, 14. & c. 7, 14. 17. 20. 23. 25. Ita Rom. 8. 2. 3. 10. &c. Gal. 5, 17. Col. 3, 15. Eph. 4, jubet malum illud crucifigi, mortificari, destrui, exui. Vt jam nihil dicam, quod Ps. 32, 6. Vocatur peccatum sanctorum & Eb: 12, 1. εὐτεγίστα & ἀμαρτία, quæ nos circumstat undiq̄, nobisq̄, intime & tenacissimo adheret.

## XVIII.

Num forsā hæc dicit, quia nondū renovatus erat Apostolus? imò, ut demonstratū, verè renatus, quippe qui secundū interiorem hominem Lege quā maxime delectabatur: Num quis peccatum non habuit? imò nihil boni se habere palam dixit; Id quod & ex ἀσώδω isto bello & perpetuā luctū spiritus & carnis, qualis in non renatis nulla reperitur, plus satis apparet; quam adeo graphicè depingit, ut se non modò carnalem, sed ob innatam & inveteratam illam veteris Adami malitiam, peccato ferme se mancipatum & venundatum profiteatur. Quin & tragicè prorsus exclamat; Miser ego homo, quis me liberabit de corpore huius Mortis?

## XIX. Eant

gen. I. 5.  
c. 7. de  
Amis.  
gratiæ &  
statu pecc.  
Iohan. à  
Daventria  
in Refut.  
art. 2.  
Cont: Augi.



## XIX.

Eant nunc Pontificij Palpones & de sua in exprimenda legis perfectione, deq; amore, quo Deo se deuinctos existimant gloriatur; nisi forsan se Paulo longe perfectiores, scelestiores puta arbitrantur. Quis enim nisi qui seipsum nimium dilexerit, ob tale malum, quod repugnat legi Dei, propter quod Paulus iam renatus conqueritur se miserum esse, & corpus suum ideo esse corpus mortis, quis, inquam, hausto tali veneno sanum & Deo placentem & ἀναμάρτητον se dicere praesumat?

## XX.

Manifestè v. falsum & erroneum est, quod Eccius & qui eum sequitur Bellarminus, garrunt, Apostolum non loqui de se, suiq; similibus iustis: sed (ut blateravit Eccius) induisse personam Iudaei alicuius non renati, vel, ut Bellarmino placet, personam hominum impiorum, qui non solum fomitem habent, sed etiam ab ipso fomite vincuntur, & pertrahuntur in varia flagitia. Sic igitur, inquit, argumentum adversariorum nullas vires habet.

Tom. 3.  
Cont. 2.  
gen. lib. 5.  
cap. 7.

## XXI.

Profectò dolus hic ἀλαφροῦς est & crassissimus. Cui enim quæso competit interior homo? quis condelectatur legi Dei? quis mente servit legi Dei? quis secundum Spiritum ambulat? quis imperat ac dominatur peccato & eius desiderijs? quis non sub lege, sed sub gratiâ constituitur? quis in se nihil condemnationis esse gloriatur? quis, inquam? Num homo ἁγιός? at ille carne servit legi peccati. Num ratio? ut Iesuita putat: at illa ludibrio habet legem Dei de Concupiscentia, imò eam ignorat, avertatur, execratur. Nisi igitur manifestè velimus πελαγισίαν, non possumus hæc homini non renato & obtuso rationis lumini tribuere.

Rom. 7.25.  
1. Cor. 2.14.

## XXII.

II.  
De vocabulo peccati.

Sed veritatis evidentiâ convicti Romanenses excipiunt, Paulum, Concupiscentiam peccatum quidem appellare sed improprie, & καταχρηστικῶς: vel ut Patres Concilij nostri loquuntur,

tur,

tur *αὐτὸν μὴ ὡς*, quod videlicet sit causa peccati, si ei obediatur, quod ex peccato sit, & ad peccatum inclinet.

## XXIII.

Iterū ergo prodeat Apostolus, & quid velit intelligi vocabulo peccati dilucidius explicet. Certè eas ipsi tum appellationes tum effecta tribuit, quæ non nisi peccato proprie sic dicto competere possunt; ut quod illud privativè cap. 7. 18. 19. & cap. 7. 8. & positivè cap. 7. 19. & 23. describit: & cum lege Dei pugnare cap. 7. 8. inimicitiam adversus Deum esse Rom. 7. 8. in mortem impellere, & à vitâ eternâ arcere Rom. 7. 5. & 24. affirmat: & ob id mortificare cap. 8. 13. crucifigere & destruere jubet Rom. 6. 6. Gal. 5. 24. & Ezech. 14. 22.

## XXIV.

Vnde cuivis patet, Paulum Concupiscentiam, quæ post baptismum in renatis reliqua est, vocare peccatum; non tantum quod sit & pœna & causa peccati; sed potissimum ideo, quod sit malū pugnans cū lege Dei, adeo *ἐν τῷ νόμῳ ἡ ἐπιθυμία* est, ut vel quia inest, in eternam mortem pertraheret, nisi propter Christum non imputaretur.

## XXV.

Huc facit quod scriptura non modò sanctissimos quosq; in peccatorum censum ac tribum refert Exod. 34. 7. Prov. 20. 9. Iob. 15. 14. 15. 16. & 143. 3. & 19. 15. 1. Ioh. 1. 8. 10. & c. & ipsis Apostolis verbaliter jam fidei emundatis atq; sanctificatis, non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis origine, Christus aperte docet Matth. 7. 11. Sed & ubiq; jubeat eadem scriptura renatos orare & studere, ut dona renovationis crescant & augeantur. Quod v. (ut scite colligit Augustinus) opus habet ut crescat & augeatur, nondum est perfectum & absolutum. Apostolus autem dicit, etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen interior renovatur quotidie; Id quod haudquaquam diceret, si continuò tota, plena & perfectà ipsius  
B animi,

animi, qui est homo interior, in baptismo in aeternam novitatem  
feret mutatio.

## XXVI.

Accedit hinc lex divina, quae διαπέδον Concupiscentiam  
peccatum vocat & arguit. Paulus enim Rom. 7. 7. Peccatum  
inquit, non cognovi, nisi lex dixisset, non concupisces. Quae ver-  
ba non actum tantum, sed ipsam concupiscentiam designant. Ex  
lege igitur, non ex naturâ judicandum, an aliquid sit peccatum.  
Quicquid enim in naturâ rationali ab eius normâ disidet, vel  
cum eâ pugnat, sive sit defectus sive ἀταξία, sive inclinatio, si-  
ve actio, sive amissio, est peccatum.

## XXVII.

Faceat ergo effrenata illa & intolerabilis Papistarum auda-  
cia, qua compulsi contra Epistolas Pauli decernere, & ipsi Spiritu  
S. dicam scribere & in os contradicere non exhorrescunt.  
Paulus Concupiscentiam, peccatum tam perspicue tam frequen-  
ter appellat: Tridentini Patres tam praefraete hoc ipsum &  
impudenter insciantur ac pernegant. Spiritus S. nos propter  
obortas per peccatum tenebras caecos, propter sauciatas & tan-  
tum non absurtas animi corporisq. vires miseros & naturâ filios  
ira nominat: isti se oculatissimos, perfectissimos, innocentissimos,  
Deoq. charissimos sonorâ voce predicant. O petulantia non stylo  
vel calamo, sed aeternis infernalium flammis refutanda & vin-  
dicanda.

## XXVIII.

Verum aliter judicare & facere nequeunt, qui Papam Christo  
hoc est, Diabolum Deo & sua somnia divinis oraculis ἀνω-  
πευθύνωg ausu scelerato anseponunt, quiq. nullam unquam de-  
verâ ad Deum conversione & vita castimoniâ cogitationem su-  
sciperunt, aut bellum illud, quod carni & hisce cupiditatum  
furijs cum Spiritu sancto intercedit, in serijs pietatis exercitijs  
experiri sunt. Non enim cum peccato ut hoste decertare, sed cum  
Concupiscentia ceu amicâ quadam colludere videntur. Nis v.  
quale quatumq. virus huic peccato insit, non divinis solum testi-  
bus, sed & vitæ etiam incommodis, animi aegritudine, men-  
lib

et corruptione, gravissimisq; amoris, odij, invidia, iracundia  
timorisq; stimulus, atq; ceteris corruptis animi motibus satis ha-  
bemus exploratum.

XXIX.

Ceterum licet ad detegendam Pontificia huius ἀσεβείας, ἢ  
ἀνομιῶν abominationem satis fuisset, uni incumbere animis  
presidio, verbis nempe τῆς ἀυτοληθείας: tamen ἐξ ὑπεροχῆς ἔ  
ἐπεξήγησεν afferre placet antiquitatis Orthodoxæ calculum: quia  
Tridentinum Concilium tantâ veritate, quanto pudare utroq;  
scilicet nullo asseverat, Ecclesiam Catholicam nunquam ita  
intellexisse quod concupiscentia in renatis verè ἔ  
proprie pec-  
catum sit.

III.  
Veterum  
sententiæ.

XXX.

Vi v. jam nihil dicamus, quod Ambrosius eam vocat ini-  
quitatem, Hilarius malitiam, ἔ  
corpus hoc omnium vitiorum  
materiam: Augustinum primum audiamus de hac ipsâ que-  
stione hunc in modum graviter differentem: sicut cæcitas cor-  
dis, quam solus removeret illuminator Deus, ἔ  
peccatum est,  
quo in Deum non creditur, ἔ  
pœna peccati, qua cor superbum  
digna animadversione punitur, ἔ  
causa peccati, cum mali a-  
liquid cæci cordis errore committitur: Ita Concupiscentia  
carnis, adversus quam bonus concupiscit Spiritus, ἔ  
peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum  
mentis, ἔ  
pœna peccati, quia reddita est meritis inobe-  
dientis, ἔ  
causa peccati est, defectiōne consentientis vel conta-  
gione nascentis.

Lib. 5. 9. Jul.  
Pelag. ca. 5.  
Tō. 2, Col.  
1066.

Aug. tra. 42. in Ioh.  
Tom. 9.  
Col. 309.  
& 310.

XXXI.

Cui consonat ἔ  
istud: Quicquid peccatum est à nobis an-  
tea deletum est in baptismo: sed nunquid quia deleta est tota  
iniquitas, nulla remansit infirmitas? certe si non remansit, sine  
peccato heic viveremus. Si ergo carne servis legi peccati, fac  
quod ait Apostolus: Non regnet peccatum in mortali vestro cor-  
pore. Non ait, Non sit, sed, Non regnet. Quam diu vivis, pecca-  
tum necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum aufera-  
tur, non fiat quod jubet.

B. 2

32. Et



## XXXII.

Et Cyprianus apud Augustinum malis motibus de origine venientibus fortiter resistens, inquit: Ne quisquam sibi de puro atq; immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit: Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis. Si autem nemo sine peccatis esse potest, quisquis se inculpatum esse dixerit aut superbus aut stultus est.

## XXXIII.

Hic scilicet est egregius ille Catholicae Ecclesiae consensus, quem nunquam non jaectitant Romanenses. Certe si posteriora haec Cypriani verba ad decretum Synodi Tridentinae conferantur, tantum abest ut ei quicquam patrocinentur, ut ad impugandum & evertendum impium hoc figmentum Papisticum datae operae posita & conscripta videri possint: ita enim sententiae sententiae, verba verbis & syllaba propemodum ac litterae & syllabis & litteris decreti Tridentini *¶* τὰ ἐκείνην *¶* respondent.

## XXXIV.

IV. Argumenta Pontificiorum refutata. Fundamentis hisce verissimis & firmissimis, cum nihil opponere possint Pontificij & vero eorum mole se premi sentiant, varia quarunt κρησφύγετα, varias rimas ut elabantur: Primum igitur Concilij nostri vires experiamur, postea vero quibus Andradius & alij tam ex scriptura, quam ex Patribus desumptis armis se muniant breviter videbimus.

## XXXV.

Magnam sane & cunctis tremendam cordibus foret anathema Papisticum, quod in hujus sui dogmatis oppugnatores tam liberaliter stringunt Tridentini Ariopagita, si aciem suam ex officina Spiritus S. mutuasset. Hac vero quia caret fulgur nobis est ex pelvi, & tussis, ut Nazianzenus ait, pro crepitu.

## XXXVI.

Quod enim ab efficacia baptismi & amore quo nos profequitur

quatur Deus, ad omnimodam peccatorum carentiam argumen-  
 tantur Pontificij, nos minime ferit, quin illorum potius prodit  
 ἀπὸ τοῦ εὐσίου, dum fontem unde hic in nos derivetur & redundet  
 amor vel non videant, vel impietate praepediti videre nolint.  
 Is vero non in nobis, sed extra nos in Christo querendus est. Deus  
 unig, renatos diligit, non ideo quod natura ipsorum omni ex par-  
 te perfecte sit pura, immaculata & innoxia: sed propter filium <sup>Ef. 64. 6.</sup>  
 Mediatorem, quem in Baptismo induimus. Quae enim nostra <sup>Ef. 29. 2.</sup>  
 sit puritas superius exemplis scripturae & Patrum ostensum est. <sup>&c.</sup>  
 Ea nimirum quae Dei iram non arceat sed alliciet; oculos Dei non  
 delectet, sed offendat, ferulam e manibus ipsi non excutiat sed  
 praebeat. Christi igitur innocentia tegeti, Christi vestibus induti <sup>Esa. 6. 10. 11.</sup>  
 & ornati coram hoc Sponso fulgemus, coruscamus, triumphamus. <sup>Rom. 8. 1.</sup>  
 Id quod & Apostolus animadvertens; Gratias, exclamat, ago  
 Deo per Christum Rom. 7. 25.

## XXXVII.

Quod autem Baptismi praestantiam & virtutem tantopere  
 praedicant, recte id quidem: Verum & illud interim observent  
 Baptismum esse lavacrum regenerationis & renovationis, id est,  
 conferre duo dona, remissionem peccatorum & inchoationem re-  
 novationis corrumpentem vetustatem carnis: Et remissione  
 quidem plena & perfecta tolli reatum omnium peccatorum, ut  
 nihil damnationis sit in his, qui in Iesu Christo sunt. Renovatio-  
 nem vero expurgantem vetus hoc fermentum tantum inchoari  
 in hac vita, perfici vero demum in altera. Nam ut Augustinus  
 ait, Baptismus sanat vitiatum a reatu statim, ab infirmitate  
 paulatim.

## XXXIX.

Et sicut aliud est in hoc peccato Corruptio, aliud Reatus,  
 vel, ut in scholis dicitur, aliud Materiale, aliud Formale: ita  
 aliud quoque est remissio peccatorum, aliud eiusdem expurgatio,  
 destructio & plenaria expoliatio. Remittitur quidem in Bapti-  
 smo, debilitatur, minuitur, Originalis Concupiscentia, non tamen  
 ita ut repente absumatur, & prorsus exstinguatur ut non sit.

B 3.

Clami-

Clamitat enim scriptura, experientia docet, & omnium piorum in hac vita tristissima querela testantur, multum vetustatis adhuc harere in carne renatorum. Unde cum Paulus ait: Nihil nunc condemnationis in his, qui in Christo sunt, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum: Vtrumq; complectitur & remissionem, quae perfecta est, & mortificationem, quae inchoata in hac vita proficientium, in vita consumetur perfectorum.

XL.

Et hoc gladio omnes illi nodi dissecantur quos Andradius à possibilitate vel ex scripturae testimonijs male detortis connectit. Etenim non quid possit Deus, sed quid velit attendendum est. Posset sine dubio gratia Dei propter meritum Christi, per efficaciam Baptismi, subito tollere ex baptisato non reatum solummodo peccati, sed & ipsum concupiscentiae fomitem, qui iustorum animos ad scelus sine fine sollicitat. At vero hunc manere in renatis ipsi largiuntur Adversarij. Idcirco quid gratia Dei, quid meritum Christi, quid Baptismus in renatis operetur, quomodo & quo ordine, statuendum est ex verbo Dei, non ex argumentationibus ex impossibili.

XLI.

Cur in hac  
vitâ non  
perpurget  
nos totos  
Deus.

Causa vero cur Deus non omnem protinus auferat impuritatem per baptismum, nobis incognita est, Non tamen, inquit, Augustinus, parum scio cum scio quaecumq; illa causa sit, quod nec iusti Dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in eius abdito altoq; consilio, cur quamdiu vivimus in hac carne mortali, est in nobis, contra quod mens dimicat nostra: Est etiam propter quod dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Tum ut totus mundus cognoscat, Deum serio odisse ac punire peccata, procul dubio vult Deus in hac vita pœnam peccati, in Paradiso perpetrati extare. Deniq; ut ad vitam æternam & omnimodam expurgationem nostrae depravatae naturae, eo ardentius suspiremus.

XLII.

Sed scriptura etiam testimonijs pugnat Andradius & ijs qui; de; quibus nos ablutos & sanctificatos & purgatos & regeneratos asserunt



asserunt & commendent sacra littera. Verum inde non dum efficitur, nos omni carere peccato, sumus enim mundi, sumus abluti, sumus & sanctificati perfectissime, quod ad remissionem peccatorum & imputationem iustitiae Christi spectat, Mundities autem renovationis seu sanctificationis tantum inchoata est. Vtrumque igitur verum est, Mundi estis & mundate vos: sanctificati estis, & perficite sanctificationem &c. Ita sine macula dicitur, Ecclesia per hanc, quam diximus, imputationem & inchoationem, cuius consummatio vitae reservatur aeterna. Eph. 5, 26. 27. Ebr. 9, 28. & 32, 1. Rom. 8, 1.

## XLIII.

Constat nihilominus merito Christi & efficacia Baptismi sua integritas & perfectio, manet quoque absoluta peccatorum nostrorum ἀπολύτωση, & solutio. Sacrificium enim Christi in cruce praestitum per se est perfectissimum; dissolutis quippe per illud & exspoliatis omnibus operibus diaboli Ioh. 6, 11. Eph. 4, 18. Col. 2, 15. Verum in nobis consideratum efficax illud est remissione reatus seu non imputatione, & deinde mortificatione, qua carnis imperia erecto & constanti animo detrectamus. Quod si credere & concedere nolint adversarij, expostulent cum Paulo, qui hoc disertè affirmare, & crebris repetitionibus inculsare non veretur.

Phil. 3, 12  
&c.

## XLIV.

Tandem ogganniunt Esavita, sublato formali, ut loquuntur, rem ipsam tollit. Quod ὁμοίωμα licet varie exercuerit & torserit Theologos superiore tempore: res tamen est expedita. Tollitur enim in baptismo reatus non à Concupiscentiâ, ut ea per baptismum reliqua reddatur res digna vitâ aeternâ: sed à personâ baptizati, quod illi non imputatur ad condemnationem, licet per se sit res digna irâ Dei. Quam in sententiam D. Augustinus, Non dicimus, inquit, per baptismum sanctificari & fideliem fieri concupiscentiam, qua in regeneratis manet. Sed dicimus reatum eius, non quo ipsa rea erat (neque enim persona ali-

qua



qua est) sed quod reum hominem originaliter faciebat, remissum  
& solutum esse, ipsam vero malam esse, ita ut ab eâ peste regene-  
rati desiderent, atq; optent sanari.

## XLV.

Patrum autoritatem nihil moramur, cum eorum assertio-  
nibus utpote humanis fides nostra minimè nitatur & superstru-  
cta sit. Quos tamè ipsos observatâ duplici peccati consideratione,  
quatenus videlicet illud est  $\alpha\nu\omicron\mu\iota\alpha$  & pugnat adversus spiri-  
tum, quodq; reum faceret, nisi fieret remissio: vel quatenus sau-  
ciat conscientiam & reos facit mortis, quomodo usurpatur Iac.  
1, 15. Hac inquam, distinctione adhibitâ facile eos posse concilia-  
ri statuimus. Necessario enim retinendum est discrimen pecca-  
ti Mortalis & venialis, regnantis & non regnantis.

## XLVI.

Et Augustinus quando negat Concupiscentiam in renatis  
esse peccatum, illud, quod nos veniale dicimus, intelligit, In  
quo nobiscum per omnia consentit, ut supra Thes. 9. 10. 11. dictû  
est. Ita quoq; semetipsum explicat. Ad Valer. l. 1. c. 24. Hoc est  
non habere peccatum, reum non esse peccati. Et alibi: Baptisa-  
tus omni caret peccato, non omni malo, quod planius ita dicitur,  
omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Ec qua  
sit Augustini sententia supra Thess. 30. 31. ex proprijs eius ver-  
bis percepimus.

v.

An B. Vir-  
go Maria  
sine pecca-  
to origina-  
li concepta  
fuerit.

P. Galati-  
uus de Ar-  
canis Ca-  
thol. veri-  
tatis lib. 7.  
cap. 5. 6. 7. 8.  
9. 10.

## XLVII.

Sed detectis pontificiorum fraudibus &  $\phi\lambda\upsilon\alpha\gamma\iota\alpha\epsilon$ , Appen-  
dicem huius Canonis Tridentini paululum inspiciemus. In eo  
verò B. Virginem ab omni peccati conta-  
& immunem pronunciant. Neq; tamen illud rationibus aut te-  
stimonijs ex scripturâ vel Antiquitate Orthodoxâ petitis proba-  
tum reddere student, sed  $\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$   $\epsilon\phi\alpha$  producant, cui revelatio-  
nes & miracula superstruunt. P. Galatinus & R. Bellarmi-  
nus.

48. Nos

XLVIII.

Nos hanc quaestionem ad scriptura metas & cancellos revo-  
saturi, cum Augustino respondemus: Quisquis vel esse vel fuis-  
se in hac vitâ aliquem hominem existimat, excepto Mediatore  
Dei & hominum; cui necessaria non fuerit peccatorum remissio,  
contrarius est scriptura, vel ut ad Iulianum l. i. c. 9. dicit, quis-  
quis hoc negat, detestandus hereticus invenitur.

Bellarmin:  
Tom. 3.  
Cont. 2.  
gen. 1. 4. c.  
15. De  
Amiff. grat.  
& statu  
pec.

XLIX.

Scriptura certè neminem ab ista communi labe excipit, qui  
ut Adam & Eva, secundum communem naturæ ordinem nasci-  
tur. Rom. 3, 23. Omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei. Ne-  
cessariò igitur dicendū est B. Virginem in Adam peccasse, ac con-  
sequenter & eius materiam peccato Adæ infectam, & ipsam in  
peccato originali conceptam fuisse: Qui enim omnes dicit, ne-  
minem excludit. Et certum est, Deum omnes homines ab Ada-  
mo naturali propagatione descendentes cum originali peccato  
concupi decrevisse: Quod verò in conceptione Mariæ abstulerit  
imò perverterit hunc à se constitutum naturæ ordinem, nulla  
nos, ut credamus, cogit ratio.

L.

Quid? quod B. Virgo fuit per Christi passionem redempta,  
alioquin & ipsa tanto bono & privata fuisset, & Christus uni-  
versalis redemptor non extitisset, id quod absurdum est. Quin  
ipsamet hoc fateatur in cantico suo, dicens: Et exultavit spiritus  
meus in salutari meo. Sed redemptio & salvatio presupponit cul-  
pam. Beata quidem dicitur; non verò nativitate, sed quia cre-  
didit. Vnde Augustinus dixit; Beatiorum esse Mariam perci-  
piendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.

LI.

Adde quod apostolo teste, In Adam omnes moriuntur, qui  
in Adam peccaverunt. Iam verò B. Virginem corporaliter  
mortuam esse, ipsimet fortasse concedent Adversarij.

C

32. Et



## LII.

Et quid multis opus est? Ne inter Pontificios quidem ipsos satis convenit, de hac questione, Magistro sententiarum nobiscum sentiente, contrarium defendente Scoto: cui tamen rursus Bonaventura & plerique alij contradixerunt: ut non tam vigilantibus loqui, quam per quietem somnare videantur. Imò post Concilium Basiliense, in quo Anno Christi 1439, hæc impietas fuit stabilita, & festum conceptionis Mariæ, annis triginta & uno post introductum: Sixtus tamen IV. A. C. 1458, utramque sententiam voluit esse liberam, ideo quod Romana Ecclesia nihil hac in parte desinere.

## LIII.

Quod autem in subsidium huius sue desperatæ causæ vocant illud: Si Maria tum temporis, quo Christum concepit, non ex-pers fuerit peccati Originalis, fieri non potuisse, quin aliquid vitij in filium redundarit, id plane frivolum est. Quia enim Mariamque naturali modo concepit, neque etiam filium suum unigenitum peperit, sed præter rerum seriem: Quin & sanctificatio intervenit, qua obumbrante eam spiritu sancto, & superveniente virtute Altissimi, massa illa, ex qua Christus conceptus, ab omni labe purgata & sanctificata fuit: nihil utique vitij aut immunditiei ex Mariâ Virgine, licet more reliquorum hominum peccato originis fuerit inquinata, ad massam illam & ad filium penetrare potuit.

## LIV.

Vnde Chrysostomus, Talis, inquit, gratia non sordidat dignitatem Christi, sed commendat ipsius misericordiam. A carne quoque, ut habet Augustinus, contaminari non poterat, ipse carnem potius mundaturus.

## LV.

Unicum ergo hunc Maria filium Christum Servatorem nostrum, qui materna contagia corruptela, immaculati partus puritate non sensit, à lue ista originali excipimus: reliquos vero

universos

universos secundum naturam propagatos, eidem obnoxios esse  
concludimus. Revelationes vero & miracula, que proferunt &  
observanda precipiunt, aniles dicimus esse fabulas & meras  
prestigias diaboli ad illudendum hominibus excogitatas.

LVI.

Christus ille agnus ἀμωμὸς καὶ ἄσπιλος, ἀμίαντος κεχωρισ-  
μένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν, ut Apostoli loquuntur, nobis omnibus  
in peccatis conceptus, natus & educatus sit propitius. Ipsi sit glo-  
ria, majestas & imperium in secula aternitatis  
universa. Amen.

1. Pet. 1. 19.  
2. Cor. 5. 21.  
Eb. 7. 26.  
Eb. 9. 14.

πάντοτε δόξα θεῶν.



209.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




DA>OC

Retro

VD17









185.

10



ATIO X.  
**CAMINE**  
**RIDENTINI**

Dn. D. MARTI  
 Theologo. Opposita  
 1546. d. 17 Iun. cele-  
 ta.  
 TIA RENATORVM.  
 V. Capita.

*Concupiscentia.*  
*em confutata.*  
*peccato originali concepta*

præsidio

**GESNERI**  
 oris & Profefs. ad pri-  
 w proponit

**S BÖCLERVS**  
 g. Megapolit.  
 Mense Majo.  
 20, 9.

מי-ינמר זכיתי ל  
 E R G A E,  
 sneri, Anno. 1602.

